

nobili genere procreati fuerint, etiam majores, et principales personatus, et officia in cathedralibus, metropolitanis, collegiatis ecclesiis, et in illis in quibus ditorum, patientium defectum natalium patres beneficium obtinuerint, dum tamen illis immediate non succedant, et quod de natalium defectibus hujusmodi nullam in quibuscunque litteris, et gratis sibi concedendis mentionem facere teneantur, indulgere valeas.»

56. *De jure non nisi naturales illegitimi, de consuetudine autem omnes illegitimi, rescripto principis legitimantur: etsi privilegio etiam per legatos et comites palatinos.* — Resp. VI. Quamvis de jure, et nisi aliud exprimat in legitimationis rescripto, per rescriptum principis soli legitimantur illegitimi naturales, non item ex damnato coitu nati, arg. c. *Per Venerabilem*, 13, h. t. et novell. 74 et novell. 89. Tamen potest supremus Princeps, si vult, quosvis, etiam ex damnato coitu natos legitimare. Omnes, per jurata citata. Imo de facto etiam quemvis illegitimum legitimare solent supremi principes; ita ut Papa suis legatis quoque, et imperator nonnullis comitibus palatinis eadem facultatem, tribuant ut patet ex formula num. præced.

57. *Comites palatini non possunt legitimare liberos nobilium.* — Porro licet comitibus palatinis plena concedatur facultas legitimandi quoscumque, etiam natos ex damnato coitu, tamen per hanc non censetur concessa facultas legitimandi illegitimos nobilium, nisi in rescripto cæsareo exprimat. Etsi id exprimat, non se extendit ad legitimandas illegitimas proles baronum, comitum, etc. Nolden, *de Statu. Nobil.*, cap. xvi, th. 15, patet ex *Capitul. Leopold.*, art. 44.

58. *Legitimatio per Papam facta reddit habilem ad effectus ecclesiasticos et politicos.* — Quæritur VI. Quos effectus habeat legitimatio per rescriptum principis? Resp. I. Si legitimatio fit a papa, efficit quemvis legitimatum habilem ad ordines, dignitates, officia et beneficia ecclesiastica per dicta num. 47, simulque ad effectus politicos, num. seq. adducendos, si legitimatus est etiam sub jurisdictione temporali Papa, secus si non est, per dicta nu. 58 et seq.; Abbas, in c. *Per Venerabilem*, h. t., n. 20.

59. *Facta a sæculari non nisi sæculares et politicos habet effectus; et quos?* — Resp. II. Si legitimatio fit a principe sæculari, aut comite palatino, efficiuntur legitimationi impri-

mis habiles ad legitimam et hæreditates, non tamen ita perfecte, ut legitimationi per subsequens matrimonium; sed cum certis limitationibus juxta dicta lib. III, tit. XXVI, n. 412 et tit. XXVII, num. 11 et seqq. Deinde evadunt habiles ad dignitates et officia sæcularia quæcumque, nisi ex consuetudine, vel speciali statuto particulari locorum requiratur, ut quis sit legitime natus; ob quod rescripto principis legitimationi nequeunt esse assessores in camera imperiali, nec consilarii principum, nec insigniri titulo doctoris, Mynsing, 4, observat. 31, nec recipi ad certos ordines, ut nostrum seraphicum, cum juxta statuta nostra generalia, cap. II, § 1, n. 1, suscipiendus debeat esse legitime natus.

60. *Legitimationi rescripto principis non possunt vocari legitime nati, nec comprehenduntur in statutis hominum, bene vero legitimationi per subsequens matrimonium.* — Ubi præter alia speciale nota discrimen inter legitimos per subsequens matrimonium, et legitimos per rescriptum principis; illi enim per omnia æquiparantur legitime natis, et etiam legitime nati vocari possunt, comprehendunturque in statutis hominum requirentibus, ut quis sit legitime natus, per dicta nu. 42 et 43. Non sic legitimationi per rescriptum principis.

61. *Ut legitimatio per rescriptum principis hos habeat effectus, certe requiruntur conditiones: et quæ?* — Resp. III. Ut legitimatio per rescriptum principis memoratos effectus habeat, plures requiruntur conditiones. I. Est, ut illegitimi consentiant, Novella 89, cap. xi. Generaliter autem sufficit consensus tacitus, qui silentio etiam indicatur. Zoesius h. t., nu. 26, arg. c. *Qui tacet. de Reg. jur.*, in 6. II. Ut nulli extent liberi legitimi, ne his præjudicium causetur, novell. 74, cap. I et II. Et quamvis princeps de plenitudine potestatis etiam legitimis extantibus possit legitimare illegitimos; tamen in dubio interpretandum est, eum non intendisse; nam beneficia principum ita interpretari oportet, ut quam minimum præjudicent juri publico, aut privato juri tertii, Felinus, in c. *cum olim. de Sentent. et re judicat.* Zoesius, loc. cit., et alii.

62. Ubi iterum aliquod discrimen notandum est inter legitimationem per subsequens matrimonium, et rescriptum principis. Per matrimonium enim illegitimi legitimantur extantibus etiam, et contradicentibus liberis legitimis, ut communiter advertunt

doctores non sic per rescriptum principis.

63. III. Requiritur, ut illegitimus per subsequens parentum matrimonium, aut omnino non, aut saltem non commode legitimationi valeat, Novell. 74, cap. I. Ratio est, quia legitimatio censetur esse remedium extraordinarium, quod cessat, ubi haberi potest ordinarium, l. XVI, ff. *de Min.*

64. IV. Requiritur alias de jure, ut vel illegitimi pater libello supplicis legitimationem exoret, vel patre jam mortuo id faciat ipse illegitimus; probans prius ex patris testamento, eum id desiderasse, Novella 74, cap. II § 1, et Novell. 89, cap. IX, § 1, et cap. X. Verum hodie universalis consuetudinis vigore sufficit etiam sola simplex instantia illegitimi, Samu. Strichk, loc. cit., § 18.

65. *Legitimatio per rescriptum principis facta non habet effectus quoad spiritualia.* — Resp. IV. Legitimatio quantumvis ampla rescripto principis sæcularis facta, penitus nihil valet quoad effectus ecclesiasticos, ordines, v. g. officia, et beneficia ecclesiastica. Covarruvias, *de Matrim.*, part. II, cap. VIII, § 8, n. 15; Abbas, in c. *Per Venerabilem*, h. t. et alii. Ratio patet: quia princeps sæcularis nullam habet potestatem circa spiritualia, nec potest in lege ecclesiastica dispensare, per vulgaria.

TITULUS XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.

1. *Ratio continuationis.* — Rectus ordo est, ut, postquam in præcedentibus actum est de matrimonio, et impedimentis ejus, agatur tunc de iis, qui matrimonium accusare, aut impugnare possint, et debeant, casu quo forsitan inter conjuges impedimentum foret. Et quoniam accusatio sine probatione non sufficit, agitur etiam de testibus ad probandum habilibus et requisitis.

2. *Matrimonium contrahendum existente impedimento accusare quis potest, ac tenetur.* — Notandum prius, accusari, et impugnari posse matrimonium tam contrahendum, quam contractum. Et quidem si impugnatur contrahendum, certum est, quemvis non tantum posse, sed et teneri matrimonium

v.

accusare denuntiando impedimentum inter sponsores existens, juxta dicta supra tit. III, n. 49. H. N.

3. *Soli conjuges matrimonium accusare possunt, quod censetur nullum ex defectu impotentie alterutrius.* — Quæritur I. Quinam, et quando matrimonium jam contractum accusare, aut impugnare possint, et debeant? Resp. I. Si accusatur aut impugnatur matrimonium tanquam nulliter contractum ob impotentiam alterius conjugum v. g. ob frigiditatem viri, aut arctitudinem femine, maleficii, etc. soli ad accusandum admittuntur conjuges. Abbas, ad Rubr., h. t.; Pirhing, eod. num. 1, et alii. Ratio est quia horum solummodo interest, et ipsi possunt, si velint, non obstante tali impedimento suo juri, quod ad accusandum habent, cedere ac invicem cohabitare, non quidem ut conjuges, sed ut frater et soror, juxta dicta supra tit. XV, n. 62, textu expresso c. *Consultationi*, 4. et c. *Laudabilem*. 5. *de Frigid. et Maleficiat.*, juncto can. *Requisivisti*, 2. cau. 33. q. 1.

4. *Vel ob impedimentum, quod ipsi tollere possunt.* — Resp. II. Pariter soli admittuntur conjuges ad accusandum, casu quo matrimonium est nullum ex tali impedimento, cui conjuges possunt renuntiare, ut puta, ex impedimento gravis metus circa ipsam personam, aut conditionem, et statum ipsius, ut si quis contraxit cum serva, quam putavit esse liberam, aut contraxit cum Lucia quam putavit esse Romeliam. Abbas, loc. cit.; Pirhing, loc. cit.; Honor, ad Rubr., h. t., n. 8; Gonzalez, in c. *fin.*, h. t., n. 3. Ratio est; quia hoc ipso, quod ipsi juri suo renuntiare, et tale impedimentum tollere, novoque consensu matrimonium ratificare valeant, idque re ipsa facere præsumantur, si conscii impedimenti præcedentis cohabitant, arg. c. II, et c. *fin. de Conjug. servor. c. Insuper*, 4, h. t., frustranea foret aliorum accusatio.

5. *Imo nec ipsi audiuntur, si cognitio tali impedimento se invicem cognoscunt.* — Imo præfato casu, ubi conjuges solo consensu suo mutuo impedimentum tollere, et matrimonium ratificare valent, ipsimet non amplius audiuntur, si post acquisitam impedimenti notitiam, adhuc carnaliter invicem se cognoscunt, ut bene advertit Gonzalez, loc. cit. per jura allegata. Ratio est; quia matrimonium novo consensu ratificasse, et consequenter inseparabile effecisse, de jure præsumuntur.

6. *Conjugium ex causa affinitatis, vel consanguinitatis suspectum accusant consanguinei proximiores, etc.* — Resp. III. Si impugnatur matrimonium ob impedimentum consanguinitatis, affinitatis, aut publicæ honestatis, primo omnium accusare possunt et audiuntur parentes, et his deficientibus, fratres et sorores, ac alii consanguinei propinquiore; quibus omnibus deficientibus etiam extranei antiquiores, et veraciores, præsertim e vicinia. Communis ac certa, textu expresso *can. 1, caus. 35, q. 6, ibi*: « Consanguineos extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem computet, sed propinqui, ad quorum notitiam pertinet, id est, pater, mater, frater, soror, patruus, avunculus, amita, matertera et eorum procreatio. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus, et veracioribus, quibus eadem propinquitas nota est, episcopus canonicè perquirat. Concordat. *can. 2, ead. caus. et q. juncto c. videtur. 3, h. t.* ubi etiam causa allegatur illis verbis. « Ideo enim maxime parentes, et si defuerunt parentes, proximiores admittuntur, quoniam unusquisque suam genealogiam cum testibus, et chartis, tum etiam ex recitatione majorum seire laborat. »

Solvitur quoque ibidem objectio sequentibus verbis: « Quod vero legitur, pater non recipiatur in causa filii, nec filius in causa patris, in criminalibus causis et contradictionibus verum est: in matrimonio vero conjungendo, vel disjungendo, ex ipsius conjugii prærogativa, et quia favorabilis res est, congrue admittuntur. »

7. *Ex alio impedimento, cui renuntiare conjuges nequeunt, nullum aut suspectum, accusare possunt omnes.* — Resp. IV. Si matrimonium ex alio impedimento, cui conjuges renuntiare non possunt, v. g. ex defectu parochi, et testium, ob professionem religiosam est nullum, omnes tam extranei, quam consanguinei, etiam conjuges ad accusandum admittuntur; præsertim vero, quorum interest, Gonzalez, in *c. fin., h. t. n. 3*, cum communi arg. *c. 1, De iis, quæ vi metusque causa*, ubi matrimonium contractum impugnavit, et audita est priorissa cum monialibus ob præcedentem professionem religiosam a conjugè emissam.

8. *Matrimonium quovis tempore etiam post multos annos accusare potest; etiamsi de valore ipsius jam sit pronuntiatum.* — Resp. V. Ad matrimonium accusandum qui sunt habiles, possunt illud quovis tempore etiam

multis annis post matrimonium jam elapsis accusare: dummodo paratas probationes habeant, suspicione careant, et impedimentum tale sit, cui conjuges renuntiare non possunt. Rursus communis. Ratio patet, quia, cum matrimonium invalide contractum, nullo temporis tractu validatur, actio contra illud nunquam præscribitur. Imo datur accusatio contra illud, etsi pro valore illius sententia jam esset lata; quia in matrimonio sententia nunquam transit in rem judicatam, textu expresso *c. Lator. 7, de Sentent. et re judicat.*

9. *Ab accusando matrimonio repelluntur, I qui quæstus causa accusant.* — Resp. VI. Ab accusando matrimonio plures omnino repelluntur. Patet inductione. Nam I. Ab accusando repelluntur, qui ex turpi quæstu accusare intendunt, minantes v. g. conjugibus accusationem, nisi pecuniam tribuant. Omnes textu claro *c. Significasti. 5, h. t.* Ratio est; quia tales malitiose et falso accusare præsumuntur, arg. *can. Prohibentur, caus. 1, q. 1, et l. Qui accusare. ff. de Accusat.* Debent autem resistentes accusationi probare, quod quæstus causa accusatio intentetur; quia delicta non præsumuntur, sed probari debent per vulgaria.

10. *II. Qui tempore denuntiationum non accusantur. Limitatur.* — II. Repellitur, cui post factas denuntiationes matrimonii impedimentum non manifestavit, sed tacuit; nisi probabile esset, tales denuntiationes factas ignorasse, quia v. g. tunc absens, aut infirmus, aut insufficientis, et rem non satis intelligentis ætatis fuit, vel etiam, si juret, quod, etsi denuntiationes factas sciverit, tamen post matrimonium jam contractum in notitiam impedimenti primum venerit. Ita tota conclusio cum suis limitationibus habetur *cap. fin. h. t., et sequuntur omnes doctores.* Ratio ibidem additur; quia alias, et nisi aliqua ex positis limitationibus adsit, tacens impedimentum tempore denuntiationum videtur suspectus, et ideo procul dubio repellendus.

11. *Hi tamen aliis, ut accusent, impedimentum detegere possunt.* — Additur tamen in *cit. c. fin., h. t.,* quod etiamsi talis, qui tempore denuntiationum, sibi notatum omisit impedimentum manifestare, ad accusandum non admittatur, is tamen alicui alteri dictum impedimentum aperire, hic alter vero idem iudici etiam per modum accusationis proponere possit, et audiri

debeat: ratio ibidem additur, « quod, etsi prior ob culpam silendo contractam, merito repellatur, iste tamen amoveri nequiret, cum culpabilis non existat. »

12. *III. Aliquando conjuges. Et quando? — III.* Ab accusatione repelluntur conjuges in casu, de quo supra n. 5.

13. *IV. Accusantes per litteras.* — IV. Repellitur ab accusatione, qui non personaliter, sed tantum per litteras accusat, textu expresso *c. II, h. t. et ibi doctores,* « nisi alia adminicula suffragentur; » prout his verbis limitatur *cit. c. II, h. t.*

14. *Qui possunt accusare matrimonium, possunt etiam esse testes pro, et contra illud.* — Queritur II. Quinam possint esse testes contra matrimonium? Resp. I. Omnes, qui habiles sunt ad accusandum matrimonium, sunt etiam habiles ad testificandum contra illud, præsertim vero illi, qui majorem habent notitiam, et fidei minus suspectæ esse dignoscuntur. Denuo communis. arg. *c. Licet. 47, de Testib. et Attest.* ut proin, etsi alias « testis idoneus patri filius, et filio pater non sit, *can. Testes, » cau. 4, q. 1, et l. Testes. ff. de Testibus,* ii tamen, sicut et cæteri consanguinei pro et contra matrimonium patris aut filii testes esse queant, per dicta arg. *c. Videtur. 3, h. t. et can. 1, caus. 35, q. 6.*

15. *Quandonam quis simul esse queat accusator et testis? Nemo potest simul esse testis et accusator.* — Imo quamvis alias de jure nullus possit esse simul accusator et testis in eadem causa, *can. Nullus, 2, caus. 4, q. 4, l. Omnibus. 10, c. de Testib.* tamen in causa matrimoniali id fieri posse, (saltem quando agitur de consanguinitate, vel affinitate) patet ex *can. Si duo, 4, can. De parentela. 5, et c. Episcopus 7, caus. 35, q. 6.* Non quidem in casu, quo quis proprie talis existit accusator, ut vult Innocentius *ad Rubr. h. t.* sed quando est denunciator impedimenti, seu quando absque formali accusatione illud præcise denuntiat: tunc enim, si iudex ecclesiasticus inquirat, is ipse, qui denunciavit, etiam testis esse poterit, ut bene advertit Abbas, *ad Rubr., h. t. in fine,* quem sequitur Pirhing, *h. t., n. 5 et alii, arg. c. In omni, 4, de Testib. et Attestat. et c. Cum in tua. 27, de Sponsat. et Matrim.*

16. *A ferendo testimonio in causa matrimoniali qui repellantur?* — Resp. II. Sicut ab accusatione, sic a ferendo testimonio repellitur testis ob quæstum inductus, arg. *c. Si-*

cut. 13, de Testib. et Attestat., sicut etiam testis, qui non personaliter, sed per litteras deponit; arg. *l. Testium 3, ff. § 3, de Testib. can. Testes 15, caus. 3, q. 9, et c. A nobis. 2, h. t.,* ubi Summarium sic habet: « Accusatio, et testimonium in causa matrimoniali personaliter, et non per litteras fieri debent. » Observat tamen Gailus, *lib. I, Observat. 101, n. 4,* in pluribus Germaniæ locis tum privilegio, tum consuetudine haberi, quod nobiles, ac illustres testimonium scriptura per sigillum suum nobile ob signata ferre queant.

17. *Causarum matrimonialium iudex solus ecclesiasticus esse potest.* — Queritur III. Quis sit iudex in causa matrimoniali? Resp. I. Causas matrimoniales omnes ad solos ecclesiasticos pertinere iudices. Unanimis ac certa, utpote definita a concilio Tridentino *sess. 24, can. 22, ibi*: « Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit. » Ratio patet; quia matrimonium est sacramentum, consequenter res spiritualis, sicque ad iudicem ecclesiasticum pertinet, arg. *c. Si Iudex. 12, de Sentent. Excomm., in 6, ibi*: « Ad iudicem ecclesiasticum (quia agitur de re ecclesiastica) cognitio pertinebit. »

18. *Et quidem jure ordinario episcopus.* — Resp. II. Non quivis ecclesiasticus, sed ordinario jure episcopus est iudex competens in causis matrimonialibus, textu expresso *c. Accedentibus 12, de Excess. Prælat. et Concil. Trident., sess. 24, de Reform. matrim. cap. xx, §, Ad hæc*: ibi: « Causæ matrimoniales non decani, archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, sed episcopi tantum examini, et jurisdictioni relinquuntur. »

19. *Ejusque vicarius generalis.* — Quoniam vicarius generalis episcopi potest ea, quæ episcopus, per ea, quæ diximus, *lib. I, tit. XXVIII, de Officio Vicarii. § 4.* Is quoque, etiam absque speciali mandato, juxta communem sententiam cognoscere, et judicare potest de causis matrimonialibus; et speciali insuper argumento desumpto ex *c. fin. de Cognat. spiritual. et c. 1, de Frigid. et Malef.*

20. *Necnon capitulum sede vacante.* — Capitulum quoque sede vacante (quia ad illud ordinaria episcopi jurisdictio transit, *c. Hi qui, 11, et c. Cum olim. de Majoritat. et Obedient*) sicut et vicarius capituli, iudex competens in causa matrimoniali est, Barbosa, *de Offic. et potest. Episc. Allegat. 84, n. 4;*

Quaranta, in *Summa Bullarii*. §. *Capitulum sede vacante*. Covarruvias, de *Sponsal.*, part. II, cap. VIII, § 12, n. 1

21. *Item praelati nullius diocesis*. — Insuper jure ordinario iudices in his causis sunt praelati episcopo inferiores, nulli tamen episcopo subjecti, et jurisdictionem quasi episcopalem in certo territorio exercentes. Barbosa, loc. cit., n. 3; Riccius, in *Decis. Cur. Archiepisc. Neapolit. Decis.* 184. Rota apud Mant. *Decis.* 101, n. 7; Ratio est; quia, dum concilium aliis inferioribus episcopo hanc jurisdictionem denegat, intelligit illos inferiores, qui certe diocesis episcopo in certis saltem causis subjecti existunt.

22. *Et ex commissione episcopi, vel alterius ordinarii etiam inferiores alii*. — Resp. III. Ex commissione, et privilegio etiam alii episcopo inferiores praelati, in causis matrimonialibus iudices esse possunt. Communis ac certa. Patetque communi Ecclesie praxi; quia videmus, quod alicubi archidiaconis, alicubi aliis praelatis, seu personis ecclesiasticis ex delegatione seu commissione, vel etiam ex privilegio competat jurisdictio cognoscendi, et judicandi causas matrimoniales.

23. *Vel consuetudine aut privilegio*. — Pariter potest eadem jurisdictio per ecclesiasticos inferiores consuetudini acquiri. Barbosa, loc. cit., n. 5; allegans declarationem cardinalium. Ratio patet; quia ea, quae non sunt ordinis, sed tantum jurisdictionis episcopalis, privilegio acquiri valent, juxta communem doctrinam alibi traditam.

24. *Judex saecularis nec incidenter agnoscere potest judex ecclesiasticus*. — Resp. IV. Judex saecularis incapax est cognoscendi de causa matrimoniali, non tantum si principaliter movetur de ea quaestione, puta de matrimonii valore, divortio, dissolutione, ejus impedimenti, etc., sed etiam quando incidenter de eadem est controversia: ut si principaliter movetur quaestio de dote, de hereditate, de donatione propter nuptias, de adulterio, etc. (de quibus judex saecularis cognoscere utique potest) et incidenter quaeritur de valore matrimonii, v. g. uno ex litigantibus illum impugnante, Covarruvias, de *Sponsal.*, p. 2, cap. VIII, § 12, n. 1; Barbosa, *Allegat.*, 84, n. 16 et seqq. ubi hanc conclusionem exacte discutit. Ratio patet; quia judex laicus incapax est judicandi causas spirituales, quocumque tandem modo in quaestione veniant, c. II, de *Judiciis*, ut amplius dictum est lib. II, tit. I, § 2.

25. *Bene tamen incidenter de causa laicali judicare potest judex ecclesiasticus*. — Contra bene potest judex ecclesiasticus quaestione de causa matrimoniali principaliter mota, incidentes quaestiones, alias ad iudicem saecularem pertinentes, v. g. de hereditate, de dote, de alimentis, etc., cognoscere. Barbosa, loc. cit., n. 18 et 19; Gutierrez, pract. q., lib. I, q. 44, a n. 6, cum communi, patetque clare ex c. I. *Qui filii sint legitimi*, c. *De prudentia*, 3, c. *Nuper*, 6, et c. *Per vestras*, 7, de *Donat. inter virum et mulierem*. Ratio patet; quia judex ecclesiasticus ex se non est incapax cognoscendi causas temporales, uti judex laicus incapax est cognoscere spirituales.

26. *De probatione et testibus requisitis ad probandam nullitatem matrimonii. Remissive*. — Quaeritur quomodo probari debeat, et quot testes requirantur ad hoc, ut matrimonium declaretur nullum, et dissolvatur quoad vinculum? Resp. Ad hanc quaestionem patere, tit. seqq., § 1, q. 4.

TITULUS XIX.

De divortiis.

1. *Ratio continuationis*. — Quandoquidem accusationem in causa matrimoniali sequitur divortium, recto ordine, praecedenti titulo *Qui matrimonium accusare possint*, sequitur praesens de *Divortiis*: quia vero fieri potest divortium tam quoad vinculum, quam quoad solam cohabitationem et thorum, hinc de utroque hic agemus.

§ I.

DE DIVORTIO, SEU DISSOLUTIONE MATRIMONII TAM CONSUMMATI, QUAM RATI QUOAD VINCULUM.

2. *Fidelium matrimonium ratum solvitur professione religiosa*. — Quaeritur I. An, et quot modis quoad vinculum fieri possit divortium, et solutio matrimonii fidelium rati, non consummati? Resp. I. Vere, ac legitime contractum fidelium matrimonium ratum solvitur quoad vinculum professione religiosa. Est certa atque de fide, textu claro, c. *Verum*, et c. *Ex publico*, de *Convers. con-*

jug. et concil. Trident., sess. 24, can. 6, ibi: « Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem, alterius conjugum, non dirimi, anathema sit. » Hinc cuius conjugum post contractum jam matrimonium conceditur bimestre ad deliberandum, an consummare matrimonium, vel religionem ingredi velit, cit. c. *Ex publico*, 7, de *Convers. conjug.* De quo amplius vide lib. III, tit. XXXII.

3. *Non item dispensatione pontificia*. — Resp. II. Quamvis gravissima inter doctores sit controversia, an etiam dispensatione pontificia solvi quoad vinculum possit fidelium matrimonium ratum, non consummatum, tamen sententia negans, spectando jura et rationes, probabilior apparet, eamque tuentur gravissimi doctores ut divus Bonaventura, in 4, dist. 27, q. 2 et 3; Scotus, in 4, dist. 31, q. 1; Pontius, lib. IX, cap. III, n. 3, dicens, hanc sententiam tenere fere omnes theologos. Soto, in 4, dist. 27, q. 1, a 4, ubi ait, « contrariam sententiam nec probabilitatis umbram habere, » Gutierrez, can. *Quaest.* lib. I, cap. XVII, a n. 12. Alexand. de Nevo in c. *Duas de sponsa duorum*, num. 14; Petrus Ledesma, de *Matrim.*, a 1, dub. 1, dicens contrariam sententiam esse improbabilem, Palao, de *Sponsal.*, disp. 3, pun. 2, § 2, n. 3 et alii, contra Sanchez, lib. II, disp. 14, n. 2; Anchoran. in c. *Ex publico*, de *Convers. conjug.* nu. 9, et ibi Abbatem, n. 14, atque canonistas communiter.

4. *Probatur ex jure*. — Probatur conclusio tam ex jure; quam ratione. Ex jure quidem can. HI, qui. 25, caus. 32, q. 7, etc. « Ex parte 14. de *Convers. conjug.* ubi habetur, quod, ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de praesenti contrahitur, illis viventibus in nullo casu possit dissolvi, nisi per professionem religiosam: » ubi etiam clare innuitur, quod absque revelatione divina dissolutionem matrimonii rati concedente, nulla de causa quoad vinculum solvi possit matrimonium ratum, juncto c. *Licet*, 3, de *Sponsa duorum*.

5. *Probatur ratione; quia est jure divino insolubile*. — Ratione autem; quia matrimonium etiam ratum jure divino est indissolubile; in jure divino autem nequit Papa dispensare juxta dicta lib. I, tit. II, § 18, n. 455; Anteced. probatur ex illo Matth. 19, cap. VI: « Quod Deus conjunxit, homo non sepa-

ret, » et c. un. de *Voto*. in 6. ubi Papa de matrimonio rato loquens, expresse dicit: « Quod matrimonii vinculum ab ipso ecclesiae capite, rerum, omnium conditore, ipsum in paradiso, et statu innocentiae instituere, unionem et indissolubilitatem acceperit. » Concordat concilium Tridentinum, sess. 24, ubi de matrimonio indistincte loquens statim a principio sic ait: « Matrimonium perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divino spiritus instinctu pronuntiavit; cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, quam ob rem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suae. »

Nec dicas, hos textus loqui de matrimonio consummato. Resp. enim, hoc gratis dici; cum omnes textus generaliter ac indistincte loquantur, consequenter indistincte veniant intelligendi, arg. c. *Quia circa*, 22, de *Privileg.* et l. de *Pretio*, ff. de *Public. in Rem.* act. Accedit, quod adversarii ipsi fateantur, et ex his textibus probent matrimonium ratum jure divino esse insolubile. Confirmatur ex ipsa matrimonii definitione ita sonante: matrimonium est legitima conjunctio maris et foeminae individuum vitae consuetudinem retinens, c. *Illud de Praesum.* Accedit adhuc quod etiam plerique doctores sententiae hujus negativae adversarii ipsi fateantur, matrimonium etiam ratum esse de jure divino indissolubile.

6. *Solvitur adversariorum prima objectio de potestate Papae concessa a Deo*. — Objiciunt adversarii I. Principale fundamentum: Ex eo, quod Deus dedit Papae tanquam suo in terris vicario potestatem dispensandi etiam in iis, quae sunt juris divini, quando id exigit bonum publicum, aut commune Ecclesiae, vel animarum, videtur quoque concessisse potestatem dispensandi id matrimonio rato, nondum consummato, casu quo id exigat bonum Ecclesiae, aut animarum salus, juxta illud Matth. XVI, §. 18 et 19, ubi Christus Petro, et successoribus amplissimam facultatem tribuens dixit: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, etc. Quodcumque solveris super terram, erit solutum, et in caelis. » Ex quo fundamento Papa etiam in votis jure divino litigantibus dispensat. Resp. Hoc argumentum probare nimium, videlicet, quod Papa etiam in matrimonio consummato dispensare valeret; cum aequè imò magis et saepius pro bono communi Ecclesiae, et animarum salute servier,